Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/theatrumamstelae00amst_0

THEATRUM
AMSTELAEDAMENSE,
CATONI TERTIO.

Editio Secunda & limatior.

THEATRUM AMSTELAEDAMENSE.

CATONI TERTIO.

Quid fronte triſti cernis indictum diem,
Priſci Catonis aemule?
Qui laeta Belgis nuntiat ſollemnia,
Et ſeculares ferias:
Qui reddet Amſtelae Theatri exordia,
Novo relata tempore.
Non ad jocoſae turpe Chloridos ſacrum,
Aut impudica gaudia;
Nec ad cruenta beſtiarum praelia,
Aut enſium certamina.
Ad caſta Muſae te voco ſpectacula,
Phoebique comici domum.
Qui vel cothurno grandis aut ſocco levis,
Elatus aut repens humi,
Diverſa menti ponit oblectamina,
Vulgi magiſter & patrum.
Regum Tragoedus dat nefanda crimina,
Altum tonantibus modis:
Rhamnuſiaeque, vindici ſuperbiae,
Dediſſe poenas edocet.
Regale carmen efferas Ducum minas,
Et principum vultus truces,
Juſti tenacis haud movere Curiae,
Nec corda, monſtrat, civium.
At ſcena riſu quae quatit praecordia,
Jocoque gratus hiſtrio,
Mordacis audax dente carminis, luem
Perſtringit hujus ſeculi.
Moreſque turpes & juventae opprobria
Luſu ſoluto detegit.

Patris tenacis & nepotis prodigi
Ridenda narrat jurgia.
Matrisque blandae culpat indulgentiam,
Nataeque amores fervidae.
Corruptor aurum, patre decepto, Syrus
Fert furto herili filio.
Lenonis inprobi adjuvat perjuria
Rapax amicae dextera.
Haec ficta miris histrio ludit modis,
Doctore acerbo gratior.
Nam quem tonantis haud magistri concio
Ad poenitendum commovet,
Fricantis illum saepe comico sale
Mutat cavilla Ludii.
At, dedicari secularibus sacris
Theatra, clamas, turpiter.
Libidinisque seminarium ultimae
Claudi probrosum mavelis.
Scenamque leges ad Catonis tetrici
Tolli juberes funditus.
Leidensis, inquis, Palladis sacrarium,
Celebretur, artium domus
Et eruditi, qua patet, mundi Schola,
Renovanda multis seculis.
Aut qui parentes error occoecaverat,
Detractus a sanctis viris,
Per templa gratis praedicetur vocibus,
Ut numinis benignitas.
Sed, o Verende, quis pii ritus, Pater,
Festique neglecti reus?
Templis honores impetu quis non sacro
Gavisus esset reddere?
Praeeunte casta quis caterva Antistitum
Non vota solvisset Deo?
Cur hanc Lutheri gloriam sequacibus
Lenti relictam vidimus?
Cur non relata veritatis semina,
Et a Quirini Flaminis
Turpis cloacae sordibus jam libera,
Dies renarrat annuus?
Dic, cur stupendi muneris sedet immemor,
Inersque cessat Belgium?

Nec

Nec ſecularem recolit exſultans diem,
Qui lumen extulit novum?
At pura, dices, non erant primordia,
Multumque faecis haeſerat:
Quae polluebat ora naſcentis gregis,
Chriſtique turpabat domum.
Surgebat inter laeta fundi gramina,
Avena, lappa, carduus,
Tribuli, cicuta, & omnibus nocentior
Spumantis herba Cerberi.
Hinc perſequendi a ſtirpe letales tibras,
Et eruendi funditus,
Inceſſit ardor, ſanior quos integros
Pars nutriebat Belgii:
Hos ſancta vindex rituum, mox convocat
Princeps Batavûm civitas.
Qui, concitante numine, intonſos Patres
Damnare certi conſident:
Et in rebelles ſancta vibrant fulmina,
Ferroque curant vulnera.
Tunc munda Chriſti ſponſa demum ſplenduit,
Novata flore candido:
Et caſtitate, virginis ritu, ferox,
Arcet profanas dexteras.
Nec ſe protervo pollui tactu ſinit,
Munita diris legibus,
Quas in novorum conditores rituum
Tulit triumphans factio.
Hunc certa noſtri corporis fax & Pharos,
Caſtique cuſtos pignoris,
Diem colendum poſteris decreverat,
Quod ſegregarit impios.
Utinam calorem comprobaſſent Principes,
Quo pervigil flagrat chorus.
At infulata praeſulum, quaeſo, cohors,
Ignoſce juſtis queſtibus.
Quis excidiſſe non Batavis faſtibus
Gauderet hunc atrum diem?
Quis ſcaevitatem temporum ſilentio
Non optet aeterno premi?
Et nocte tectum gentis hoc mitis probrum,
Neſcire mallet poſteros?

Tam triſte quis non liberis cervicibus
Suſpiret inpoſtum jugum?
Dijudicanda num dediſtis arbitris
Tam ſaeva ſanctis jurgia?
An ad verendi codicis fidem gravis
Suſcepta diſceptatio?
An non Quirini more vano Principis,
Ex ore falli neſcio,
Tuliſſe per vos creditis ſententiam
Caeleſtis auram ſpiritus?
Decreta coetus enſis annon Martius
Mox vindicavit ſanguine?
Proſcriptione & jus tuentium fuga
Foedavit aras & focos?
Senisque caede dura corda judicum,
Et ora pavit Principis?
Sed vera victrix forte pars praeſcripſerit,
Sunt juſſa certe, dogmata.
Divina vis credenda nobis imperet,
Humana non auctoritas.
Suadere verbis mollibus concordiam
Chriſti decebat aemulos.
Hac Vaticanam lege nos tyrannidem
Libentius mutavimus.
Sed quo nefandi temporis mentem rapit
Memoria? ad Amſtelam redi,
Thalia dulcis, & Theatri nobilis
Novata dic cunabula.
Et quem tuliſſe ſcena fructum civibus,
Doctisque fertur vatibus.
Horrebat olim ſentibus loquacitas
Vernaculorum barbara.
Ruris coloni, vix loquentes Belgica,
Erant Theatri gloria.
Qui neſcientes carminis ſani modos,
Inconditos dabant ſonos;
Materna verbis & jugantes exteris
Se venditabant inſciis.
Leges ſeverae, Graja quas auctoritas
Et quas Latina ſanxerat,
Et non movendi fabularum limites
Genti latebant ſimplici.

Sed

Sed cum polire coeperat collegium
AMORE FLORENS mutuo,
Novaeque ſcenae jecerat fundamina,
Quae poſteris proluderent.
Mox ex Theatro, quod ſacrarat Amſtela,
Fandi peritis vatibus,
Prodire ſummos ſeculum vidit prius
Felicis artis principes.
Ut foeta, quondam lecta fudit robora,
Armis virisque machina.
Confuſa fugit, qua rigebat antea,
Plebeja ſcenae foeditas.
Urbanitatis & leporis gratia
Sermone fulſit ſplendido.
Et elegantis per nitoris arbitros
Leges loquendi conditae,
Docent honeſta verba judicem, & cito
Forenſis horror defiit,
Et templa quod ſermone culto perſonent,
Et delicatis vocibus,
Id omne debent ſcenicis collegiis,
Mundare dicta quae ſtudent.
Hinc laude magna Belgicae princeps lyrae,
Vocis Batavae conditor,
Ludisque, priſca ſcena quos jam viderat,
Florebat ingens Hoofdius:
Olim Theatri & Rhetorum, ſicut vocant,
Magiſter & primum decus.
Conſors, nec artis cultor inpar Muſicae,
Ibat comes Vondelius:
Duram ſalebris aſperamque qui viam
Labore vicit improbo.
Ingensque turba, quam duobus addere,
Nil attinet verſu levi.
At vos, Alumni Palladis, quos aemulus
Incendit ardor carminis:
Et innocentis ludicri cultor, Chore,
Ferite laetam barbiton:
Certate doctis Amſtelae ſacrum piae
Celebrare cantibus diem.
Bonaque luce verba proloqui bona,
Et ominari patriae

Se-

Sereniora, quam fuerunt, tempora,
Acerba damnis bellicis,
Pacisque ſanctae & foederis cuſtodibus
Favere tam conſtantibus;
Scenamque, matrem qui tuentur artium,
Efferre dignis laudibus.
Optate libertatis arci, ut ſecula
Addat benigna mens Dei.
Ut ſalva cum tuentibus leges diu
Urbs efferat celſum caput.
Comesque doctae Palladis Cyllenius
Merces & artes protegat.
Huc adgerantur orbis amplae divitis
Terraque gazæ & aequore.
Hic arca nummos fida ſervet, incolis
Cuſtodiens & accolis.
Ipſique, regum qui jugo preſſi gemunt,
Terraque triſtes condere
Coguntur auri pondus ingens abditi,
Ne praeda fiat Principi,
Laboris aegri & parcitatis munera
Huc congerant pecuniam.
Huc mille naves, orbe miſſae de novo,
Et mille portus compleant.
Et dum minores Amſtelae per alveum
Lintres ſine numero volent:
Vae fluenta claſſium ſub pondere
Gemant, tremente gurgite.
Praetexat oras ſilva nans, & fluctuans,
Nemus coronet margines.
Vix urbis altae tecta ſint capacia
Huc confluentis hoſpitis.
Occaſus huc & ortus & medius dies,
Et inferat ſeptentrio.
Mutanda noſtri dona fructibus ſoli,
Quae plena rumpant horrea.
Floreſcat uſque & uſque creſcat, omnibus
Commune gentibus forum.

AMSTELOPHILUS.

DE

AMSTELDAMSCHE SCHOUBURG

AEN DEN

HEDENDAEGSCHEN CATO.

Het Latyn van AMSTELOPHILUS *op nieus gevolgt.*